

- 27 In Ecstasi supernaturalis non est necesse concurrere conditiones in naturalis requisitas.
- 28 Supernaturalis Ecstasi non habet determinatum tempus sui insultus.
- 29 Ecstasi naturalis potest fortasse ex propria voluntate fieri.
- 30 Ecstasi naturalis initiatore tantum à voluntate dependere potest.
- 31 Nulla corporis dispositio requiritur in supernaturali Ecstasi.
- 32 Ab Ecstasi naturali quenam pati hominem necesse sit.
- 33 Naturalis Ecstasi non nisi quaedam mentis amotio, & desipientia est.

De Ecstasi, & Raptu.

QUÆSTIO VI.

- 1 Ecstasi nomen diversimode accipi, patet ex iis, quæ retuli Lib. 2. Tit. 1. quæst. 16. num. 32. & segg. pro nunc autem, cæteris acceptionibus rejectis, Ecstasim accipiamus pro mentis raptu, & apprehensione, qua detenti omnibus externis sensibus orbati, & motu, immo & ipsa vita videntur carere, ita ut vix à vere mortuis intertingui possint. Mercat. lib. 3. de morb. parte 1. quæst. 180. num. 34. sic definit: Ecstasi est alienatio imaginationis ab omnibus rebus cum detentione in alicujus rei consideratione. Quæ sic accepta duplex est, Naturalis dumtaxat, & supernaturalis. Naturalem voco eam, quæ naturalem habet causam, supernaturalem autem eam, quæ causam habet supernaturalem.
- 2 Ceterum quia dubitari contingit, an Ecstasi in aliquibus miraculosa fuerit, nec ne, de utriusque natura & ratione aliqua recensere necesse est. universaliter autem naturalis sequenti modo fieri solet: Facta vehementi imaginatione, ac fixa circa rem aliquam, ut circa amatam mulierem, vel etiam circa celestia, circa Angelos, circa Sanctos, (nam non ob id, quod Ecstasi fiat ex contemplatione supernaturalium rerum, idcirco supernaturalis semper & ipsa est) confluent in cerebrum animales omnes spiritus, externis sensibus, ac internis, & motui quoque destinati, unde contingit, quod quemadmodum ex Leone Hebræo dial. 3. de Amore aliàs dixi, magis multo, quam in somno ipsi externi sensus obligati, & ipsum animal omni motu carere appareat; eo enim spirituum animalium omnium confluentium à sensibus profus alienatur homo, qui in ea imaginatione hærens non secus ac in somniantibus eveniat, se præsens habere existimat, ac realiter videre & audire, quæcunque imaginatur, cum Angelis, & sanctis Dei colloqui, si circa illos imaginatio fuerit, vel celestia, ac Dei gloriam, aut inferna, & damnatorum poenas contemplari; vel cum ipsissima amata confabulari, si de ea præmeditatio existiterit; & in summa nihil differet naturalis Ecstasi à somnio, nisi quod illa vigilantia, hoc autem dormienti accidat; unde quemadmodum in somno sentientis simul, moventisque & intelligentis Animæ officia cessant, vel quiescunt, sic & in Ecstasi, quæ non aliter idcirco definitur à Scaligero exercit. 312. in Card. quam privatio prædictorum officiorum Animæ.
- 3 Fit autem in Ecstasi magis aut minus intensa imaginatio, unde major aut minor mentis abstractio succedit, & magis aut minus à sensibus externis apparet homo alienatus: nam quo intensior fuerit Imaginatio, eo major spirituum copia ad cerebrum

reperit, & locum ubi imaginatio viget, anteriorem nempe capitis partem, & sic majori in consequentibus temporis spatio durat ea mentis apprehensio, nisi interim homo stimulatus, aut ab externa aliqua causa excitatus ad sensum redeat. Faciunt & ad Ecstasi durationem, & intentionem cerebri ipsius debilitas, & fortitudo, & ipsorum quoque spirituum qualitas & quantitas: Ecstasi enim affectus, vel symptoma quoddam est in genere oblesionum facultatum principum, animalium nempe, ut ex superioribus patet; itaque ad ejus symptomatis generationem cerebri secundum ejus ventriculos debilitas contingit, & non naturalis quædam sanguinis, & spirituum constitutio, debili ergo existente cerebro, Ecstasi magis durat, non potente virtute nocentem spirituum confluxum tam cito dissipare. sic & ubi spiritus crassiores existant, & magis melancholici fuerint, difficilius dissipantur. Itaque si simul debile fuerit cerebrum, spiritus multi, & crassi, & melancholici, Ecstasi non solum interdum multum durabit, sed etiam in Apoplexiam morbum sibi congenerem, & ipsam mortem terminari poterit: est enim affectus hic Apoplexiæ adeo similis, ut uterque eodem nomine Apprehensionis nempe, & detentionis insigniatur, licet aliquando Catalepsi consimili quoque cuidam morbo magis convenire videatur. Mercat. lib. 3. de morb. par. 1. quæst. 180. num. 34. nam interdum Ecstasi detenti non minus quam Cataleptici eodem modo, quo apprehensi sunt, permanere solent, nimirum si stantes, scribentes, jacentes, meditantis apprehenduntur, stant, jacet, ac scribere, & meditari videntur, ut de Socrate evenit, de quo narrat Plato in Convivio in ratione Alcibiadis, quod integro die eodem vestigio cogitabundus steterit: aliàs autem Ecstasi ut Apoplectici cadunt, & quasi mortui jacet, ut de se narrat Balaam Num. cap. 42. vers. 4. Dixit Auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi ejus; hoc est tunc visionem Dei contemplantur, cum tanquam mortuus cadere conspiciunt, innuens modum suæ Ecstasi: uterque enim modus locum quoque habet in Ecstasi supernaturali. Sed alii præterea sunt Ecstasi, qui à terra in Ecstasi elevantur, & quasi in Aere librati permanent; hoc autem (quicquid conati fuerint nonnulli affirmare) in naturali Ecstasi est ab omni veritate alienum: contra Naturæ enim propensionem omnino est, corpus grave à centro propria virtute sublevari, & in aere sustineri: sed vide obsecro quam avidi nonnulli scriptores sint narrandi, immo potius effingendi miracula, qui Imaginationem supra Naturæ vires posse existimant, & viros quosdam effectus aptam natam esse producere, quos aliàs ipsa Natura producere non potest, ut hic est, elevatio nimirum corporis gravis à centro ex propria virtute facta, & ejus permanentia in aere: nam & hoc à viribus imaginationis fieri posse prædicant, ac fabulantur; quod tamen esse supra Naturæ vires, ac miraculosum pro certo esse debet, atque ubi apparet, aliis conjunctis, & probationibus bonæ vitæ concurrentibus pro miraculo acceptandum, abique eo quod quicquam dubitetur, an miraculosus effectus sit, nec ne.

Quod autem Dæmon elevare possit corpora quæcunque libuerit, & in aere sustineri, non controversum est. D. Tho. 2. 2. quæst. 75. art. 1. idcirco tantum corporis sublevationem miraculosam esse dixi,

- dixi, quæ ex se fit, nimirum nulla virtute naturali, aut Dæmoniaci, sed divina tantum corpus sublevante.
- 14 Ceterum supernaturalis Ecstasi alia ratione, quam naturalis fit, nullisque legibus obligata esse potest, fit namque à causis supernaturalibus, à Deo nempe, vel Angelis avocationis mentes nostras ad divinorum contemplationem, cum per eam mentis avocationem ab his sensibilibus sese nobis infinuare volunt; in quo actu non fixatur Anima in præexistentibus phantasmatis: nulla enim phantasmata præexistere possunt eorum, quæ nobis in supernaturali Ecstasi præsentantur, sed omnia à Deo, vel ab Angelis divina quadam, ac longe à Naturali dissimili ratione ostenduntur quæcunque illi videre nos volunt, in eo autem actu Intellectus noster non ut primo efficiens, sed ut instrumentaria causa concurrat: Deus enim ipse in hac Ecstasi est causa primo efficiens, neque potest absque ejus virtute ullo modo fieri. Martin. Delr. disquis. Magic. lib. 2. quæst. 15. Si quæ vero phantasmata celestia representantia potest subjicere Dæmon Intellectui nostro, ita ut Ecstasi supernaturalis effigiem simulet, ea falsa sunt, & naturali modo Intellectui offeruntur.
- 15 Notandum autem, quod quamquam in supernaturali hac Ecstasi non fixatur anima nostra in phantasmatum contemplatione, sed in representatione quadam spiritali ab ipso Deo, vel Angelo immissa, non tamen in eo actu animam à corpore separari necesse est, unde non contemndi erroris notatur Bodinus à Delrio ubi supra. Et à Torreblanca in Epitom. de lib. cap. 20. num. 7. cum lib. 2. Demonoman. cap. 2. Animam in Ecstasi à corpore migrare, illudque deserere voluerit, quod ab ipso Delrio satis superque ut erroneum, & à vera fide alienum, confutatum est, si modo hoc tanquam necessarium, & conditionem sine qua non concurrere admiserit Bodinus: nam à Deo fieri id quodcunque posse non controversum est. Torreblanca ibid. num. 11. Et idcirco quod Paulus de se ipso narrat, quod raptus sit usque ad tertium cælum absque eo quod seveiret, utrum hoc in corpore, vel extra corpus fuerit, adhuc indecisum manet, cum utrumque ex divina potentia esse poterit. Illud certum est, quod notavit etiam Delrios, ex Animæ separatione à corpore mortem contingere, unde si de necessitate in Ecstasi anima à corpore separatur, de necessitate homo in Ecstasi moritur, & cum ad vitam restituitur, resurgere dicendus est, Anima denuo in corpus, à quo jam separata fuerat, commigrante; ita ut plura miracula absque ulla necessitate operatus fuerit Deus, cum potuerit unice tantum Ecstasim excitare. Sed video in hoc excitata alia dubia, an nimirum in Ecstasi fiat abstractio ab omni motione appetitus sentientis, & virtutis moventis ac nutrientis, ac certe cum anima, ut probatum est, præsens fit in corpore, etiam si abstracta sit in contemplatione, potest tamen suis facultatibus, & mediantibus spiritibus exercere omnia sua munia. sed de his videatur post D. Thom. & alios Suarez de virt. & sci. veliq. lib. 2. cap. 18. Tom. 2.
- 16 Sed jam his ad Theologos relegatis, ad ea, quæ magis ad nos spectare videntur, revertamur, ac videamus, quomodo interno fieri possit & debeat naturalis Ecstasi à supernaturali; quod tamen duplici ex causa valde operosum est: prima quia eæ, quæ hanc ab illa distinguere possunt conditiones, occultæ sunt, & sensibus ignotæ. Secunda quia quoad ea, quæ exterius apparent, ambæ ita

conveniunt, ut unius ejusdemque speciei de necessitate ab omnibus judicentur: etenim ea una conditio, quam recensimus, de corporis elevatione, quæ potest esse maximum ac evidens signum supernaturalis Ecstasi, neque in omni Ecstasi fit, & potest in naturali, operâ Dæmonis, apparere. quomocunque tamen sit, nonnulla adducenda, quæ saltem aliquam conjecturam faciant, Ecstasim esse potius supernaturalem, vel viceversa judicandam. In mentem ergo redigendum id, quod paulo superius dixi, Ecstasim nimirum, quæ naturaliter fit, esse morbum quemdam, seu affectum, vel symptoma præternaturam, quod etiam Card. lib. 19. de subtilit. & aliis acceptum est. unde re ita se habente necesse est, eum affectum ad causas quoque præternaturales succedere, quæ erunt præcipue capitis dyscrasia, seu intemperies, quam Mercatus loco aliàs in hac questione citato frigidam & siccam statuit; ejusdem naturalis, seu accidentalis debilitas, sanguinis item, ac spirituum non naturalis constitutio. Ob eandem insuper causam, nimirum quia affectus est præternaturam, necesse est ab eo Naturam lædi, præsertim, cum pars affecta princeps sit, & principes quoque lædantur functiones. Præterea cum affectus præternaturales, præsertim si magni sint, (extimata in hoc casu magnitudine non respectu unius rei tantum, sed plurimarum) nisi sanentur, omnino labantur in deterius, in alios scilicet deteriores morbos, vel in mortem, idcirco necesse est, eum, qui naturaliter corrumpitur, (sic naturaliter etiam de causa morbifica intelligens) vel in Paralytim, vel in Apoplexiam, vel in consimilem alium morbum, vel in ipsam mortem temporis progressu lapsam iri, nisi & affectus levis sit, & jam quasi connaturalis evaserit, ut nonnullis evenisse compertum est, vel saltem admodum raro prehendat. sciendum enim, Ecstasim naturalem aliquando levem esse affectum, & quem facile Natura ferre potest, aliquando fortem, ac detentioni, seu Catalepsi simillimum, & Naturæ maximam vim inferentem. In levi, qualis tunc fit, cum intensa ac fixa imaginatione detinemur, & qualis vigere solet in hominibus, qui vel scientiarum, vel divinarum rerum contemplationi sunt dediti, & in Melancholicis, non habent locum ea, quæ superius relata sunt, sed in forti maxime, quæ quidem proprie Ecstasi dici debet, qua correpti omnino exterioribus sensibus destituntur, & tanquam mortui apparent. Circa levem autem Ecstasim non est quod quidquam nos remoretur, cum ea facillime dignoscatur esse naturalis affectus, nec possit ita supernaturali similis fieri, ut dubitari de ea possit, an miraculosa fuerit, nec ne.

His ergo præsuppositis evidenter apparet, conditiones illas, quas de naturali Ecstasi retulimus, nequaquam de necessitate in supernaturali concurrere, sed eam non alio modo fieri, neque diutius durare, neque alia ratione hominem afficere, quam quomodo supernaturali causæ ipsam excitanti libitum fuerit. itaque non habebit supernaturalis Ecstasi determinatum tempus sui insultus, naturalis autem maxime. Fit enim ac concitari potest, magis ac promptius hoc vel illo tempore, pro ratione, qualitate, & quantitate peccantium, & fluentium humorum, & pro temporis etiam constitutione, & sic habere poterit quosdam paroxysmos, & exacerbationes, seu insultus, ut cæteros præternatu-

naturales affectus habere conspiciunt. Etiam si autem detur, Eccliam naturalem posse ex propria voluntate contingere, quod quidem admitti potest, & habemus inigne exemplum apud D. Augustin, de civ. Dei lib. 14. cap. 23. non tamen in voluntate Ecclasticæ erit, in Ecclia quamdiu voluerit permanere, non enim esset vera Ecclia, in qua voluntas, & Ratio sui iuris essent; sic neque pro voluntate Ecclasticæ fiet Ecclia magis aut minus intensâ, sed à qualitate & quantitate spirituum, ad cerebrum confluentium, dependentiam habebit, & à dispositione aliarum causarum, de quibus superius. Initiative ergo naturalis Ecclia à voluntate libera dependere fortasse poterit, at supernaturalis nequam, unde cum Card. erroris notatur, qui putant, eccliam supernaturalem ad hominis libitum accedere posse, ut per Majol. dier. can. coll. 3. p. 2. & dico de vere supernaturali, non etiam de ea, quæ naturaliter movetur ad rerum divinarum contemplationem, sed de ea, quæ ab ipso Deo, & causa supernaturali supernaturaliter excitari solet: hæc enim ab ejus causâ mero & libero dependet arbitrio. Supernaturalis insuper Ecclia non requirit de necessitate corporis ullam dispositionem, ut temperaturam melancholicam, capitis distemperantiam, aut debilitatem, & cætera, quæ tanquam morborum notæ in corporibus afferuntur; quæ tamen in naturali erunt conspicua, & Natura, & consuetudo, & causæ externæ, & internæ, ac denique singula quæque ad id demonstrandum collimant.

32 Præter hæc autem in Ecclia naturali necesse est corpus ab ejus invasione aliquid perpeti, ut lassitudine quadam, & membrorum pigritia ac torpore detineri, mentis & intellectus quandam offuscationem & hebetudinem pati, rerum præteritarum oblivione affici, colorem totius corporis, sed præcipue faciei, ad pallorem, & livorem, vel fulcedinem quandam converti; insuper hominem tristitia absque alia evidenti causâ vexari, pandiculacione, & oscitatione frequenti molestari, & alia ad hunc modum apparere. Contra vero in supernaturali nihil horum succedere conveniens est, sed potius his omnino contraria, præcipue autem quoad ea, quæ ad animum spectant: nam quemadmodum naturalis Ecclia non nisi quædam mentis amotio, ac desipientia est, ut ex Gal. 1. Prober. testatur Holler. 7. Aphor. 5. & Marcell. Donat. lib. 2. hist. med. mirab. cap. 1. quia in eo affectu Mens ea vera judicat, quæ sibi vana Imaginatio repræsentat, sic Ecclia supernaturalis summa sapientia dici potest, cum per eam Anima secundum Intelligentiam perficiatur, & sapientior evadat. contra autem evenit, ubi naturalis seu potius præternaturalis aliqua causa Eccliam excitare solet, quam nullo modo concurrere in excitatione supernaturalis Ecclia doctæ admodum monet Guilielm. Ader. de Egr. Euang. Enarr. 3. par. 3. Illud denique maxime videtur adnotandum, quod in ecclia supernaturali interveniat miraculum, ut dictum est, non erit unquam existimandum, eam frequenter prehendere, & ad hominis voluntatem; unde quocumque videbimus hominem frequenti ecclia prehensum, in hoc semper præsumtio debet esse naturalis affectus potius quam supernaturalis, nisi aliunde evidenter constet; cum miracula, ut alias probatum est, non nisi de raro & ex magna causa fiant.

S V M M A R I V M.

- 1 Jejunium quadragesimum ter in sacris observatum, in Moysi, in Helia, in Christo Domino.
- 2 Nullum animal corruptibile potest longo tempore absque cibo vivere.
- 3 Jejunii tolerantiæ terminus in homine septem dierum secundum Hippocratem. secundum veritatem autem non est unus in omnibus, num. seq.
- 5 Senes facillime jejunium ferunt, pueri vero difficillime.
- 6 Undecimum diem absque nutrimento transigere homo non potest.
- 7 Cur semel in die comedere liceat in Quadragesima ex Ecclesia Indulgentia.
- 8 Quadragesimale jejunium in Christo Domino fuit miraculosum.
- 9 Plures non modo quadragesima dies, sed plures menses, & annos naturaliter jejunium tolerant.
- 10 Planta multo tempore absque alimento vivunt.
- 11 Plura animalia multo tempore absque alimento vivunt.
- 12 Historia juvenis Scoti per triginta dies jejunantis.
- 13 Puella Sprentis historia quadringentis absque cibo vivens.
- 14 Alterius puelle historia sexdecim menses jejunantis.
- 15 Alia historia vetula septem annis medianam tolerantis.
- 16 Alia historia Religiosi solo sacratissimo Christi corpore vitam protrahentis.
- 17 Alia historia puelle, quæ per septem annos jejunium permissit.
- 18 Alia historia puelle Pedemontana per duos menses nihil comedentis.
- 19 Alia historia ex Divo mulieris septem annis jejunantis.
- 20 Alia ex Orisasio cuiusdam mellis odore per dies quadraginta vivens.
- 21 Alia virginis viventis absque ulla cibo & potu per plures menses.
- 22 Alia cuiusdam Monachæ jejunantis per quatuordecim, & plures dies.
- 23 Homo, & quocumque animal potest sine externo alimento per longum tempus naturaliter vivere. & num. 56.
- 24 Licet opinio circa longum jejunium, quod naturaliter toleratur.
- 25 Viventia omnia ex Læto vivere possunt per longum tempus absque eo, quod nutriantur. falsum, num. seq. & num. 32.
- 27 Vita nihil est aliud, quam consentientia per alimentum.
- 28 Naturæ actionum prima, & omnium maxime necessaria est nutritio.
- 29 Facultates, & actiones viventis animalis sunt inter se ad invicem subordinatæ.
- 30 Humidi radicalis consumptio non est adæquata causa necessitatis nutritionis.
- 31 Vivere est calorem per substantificum humidum fervere, ac sustentari.
- 32 Plantarum semina quoadiu vivunt, nutriuntur.
- 34 Nutritio est calorem homido fervere.
- 35 Semen animalium perfectiorum in utero primis saltem diebus non nutriti, quomodo dicendum.
- 36 Respondetur ad auctoritates à Liceto adductas.
- 37 In Atrophia corpus non nutriti quomodo dicatur.
- 38 Ad Licetii rationes responsio.
- 39 Nutritio etiam respectu unius rei potest intermitteri, respectu alterius erit semper necessaria.
- 40 Omnia, quæ præternaturalia sunt, ipsi Naturæ vim inferunt.

Quæstio VII.

- 41 Nutritio quando intermittitur in vivente secundum Licetum.
- 42 Sufientatio caloris per humidam pabulum est ipsa Nutritio communis de naturali causa longi jejunii, Naturam semper uti aliquo nutrimento interno.
- 44 Que conditiones concurrere debeant, ut Natura solo interno alimento sit contenta.
- 45 Fæmine multo plures, quam viri longum jejunium tolerant.
- 46 Pituita, quæ alimentum vices gerere debeat, qualis natura sit oportet.
- 47 Jejunii tolerantia major & minor, ex pituita copia majori aut minori, & debite qualitate.
- 48 Reditus ad externum alimentum quomodo fiat, non potest in sententia Licetii explicari.
- 49 Pillule ad famem per plures dies tolerandam ex Monardæ.
- 50 Qua ratione tolerari possit tam diu fames ex usu prædicatorum pilularum.
- 51 Quomodo pacto herbe quædam famem, & sitim extinguant ad longum tempus.
- 52 Semen animalis perfecti in utero primis diebus quomodo nutriatur.
- 53 Semen animalis in utero non vivet, nisi nutriatur, ac necesse est illud vivere.
- 54 Ex pituita abundantia caloris arguitur imbecillitas.
- 55 Natura non philosophatur.
- 57 Longioris jejunii tolerantiam non semper naturalis est, sed aliquando miraculosa.
- 58 Longum jejunium quando sit miraculosum.
- 59 Naturaliter ad longum tempus jejunantes, tamen interno alimento nutriuntur.
- 60 Miraculose per longum tempus jejunantes nullo modo nutriuntur.

De longo Jejunio.

Q U Æ S T I O VII.

LONGUM jejunium, quod sua longitudine miraculum existit, ter in Sacris historiis se prodit. Primo etenim Moyses, cum in monte Sina acciperet à Deo Legum tabulas, per quadraginta dies quicquam neque comedit, neque bibit, ut narratur. Exod. cap. 24. vers. 27. Fuit ergo ibi cum Domino 40 dies & 40 noctes, & panem non comedit, & aquam non bibit. & Deuteronom. cap. 9. vers. 9. de se ipso loquens Moyses: Et perseveravi in monte quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens; in utroque autem loco panis pro omni ciborum genere, aqua pro omni genere potus delimitur, ut palam est. Totidem item diebus jejunavit Helias, de quo 3. Reg. cap. 19. vers. 8. dicitur: Qui cum surrexisset comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb. Denique Christus Dominus idem jejunium totidem quoque diebus toleravit; de quo Matth. cap. 4. vers. 2. Et cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus postea esuriit, & Luca cap. 4. vers. 2. Et agebatur à Spiritu in desertum diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo, & nihil manducavit in diebus illis, & consummatis illis esuriit. Jejunium ergo à Domino, & à duobus illis Prophetis, & deinceps ab aliis absque vitæ dispendio tam diu toleratum disputandi occasionem præbet, ac demonstrandi miraculose id factum, nec potuisse naturaliter ea ratione in illis succedere, ut in aliis naturaliter contingere potuit.

De Miraculis.

Patet autem non hominem modo, sed neque ullum aliud animal corruptibile posse absque alimento longo tempore vitam protrahere: omnia enim per calorem vivere certum est, qui pabulo indiget, quod illi à Natura in prima animalis conformacione, immo & in ipsissimo femine præparatum est, nempe humidum quoddam, quod ille indefinenter depascens, nisi de novo reparetur, suum ipsius pabulum absumens, seipsum non longo post tempore extinguit. Quæ temporis longitudo, ac terminus durationis varius est in variis animalibus, in homine vero septem esse dierum voluit Hipp. in lib. de carn. in fin. Qui enim, inquit, septem diebus absque ullo cibo permanerint, de hinc non possunt etiam volentes cibis subveniri, quia jam venter eos non admittit. rationem reddit ille: Jejunum enim intestinum in his diebus coherescit, ex quo repetit Torrelanca lib. 2. cap. 21. Epitem. delicti. num. 2. exemplum ejus rei habemus in Carolo vi. Gallia Rege, cum enim hic præ dolore & iracundia aliquot diebus nec cibum, nec potum capere voluisset, dehinc cum vellet non potuit. Tarcagnott. lib. 60. in prim. simile etiam quid vidi in sene quodam Scoto, qui tribus diebus jejunus permanens ob febrim, dehinc cum voluit cibos admittit amplius non potuit. Sed non esse hunc terminum cunctis hominibus communem, & ex ipso Hipp. patet, & monet Plin. lib. 11. hist. nat. cap. ult. cum aliquibus etiam quinta dies sit lethalis; nonnulli vero etiam undecimam exuperent, ut ex seqq. Pœtarum testimoniis, aliisque historiis palam fiet. nam Ovid. 14. Metam. Canentem sex tantum diebus absque cibo vixisse dicit:

Sex illam noctes, totidem redeuntia Solis
Lumina viderunt inopem somnique, cibique
Per jugas, per valles, qua fors ducebat, evnem.
Clitiam autem etiam ad nonum absque cibo permanisse testatur 4. ejusd. lib.

Perque novem lucas expertus undæque cibique,
Rove mero, lachrymæque suis jejunia passit.
Ea igitur ob causam non est inculandus Homerus, apud quem Priamus duodecim dierum jejunium tolerasse se, narrat Achilli his carminibus, lib. ult. Iliad.
Ex quo tunc sub manibus meus filius perdidit animam, &c.
Nunc etiam cibum gustavi, & ignem vinum
Per guttur demisi, ante a certe neuriquam gustavi.
A cæde enim Hectoris usque ad Priami adventum in Achillis tentoria duodecim dies intercesserant. Cujus rei omnem admirationem deponet, qui legitur in Actis Apostol. cap. 27. vers. 33. & seqq. eos, qui cum Paulo in Italiam navigabant, ad numerum ducentorum septuaginta sex hominum per quatuordecim dies jejunos permanisse, cum tamen nullus eorum perierit; licet hoc ex miraculo quisquis sit contigisse facile existimare possit.

Est ergo, ut ad rem veniamus, varius hic terminus 4 tolerandi jejunium in homine, quam varietatem faciunt temperamenta, ætates, regiones, anni tempora, consuetudo, & alia nonnulla. Admiratione dignum est quod Carol. Clus. in annotat. ad cap. 3. Garz. ab Horr. refert, ex quo repetit Marcell. Donat. lib. 4. hist. med. mirab. cap. 12. nimirum sacerdotes quoddam Indos viginti interdum diebus sine cibo vivere. Idem Marcell. Donat. ibidem ex Brasavol. recitat anno 1528. plures extitisse ægrotantes, qui nihil penitus accipientes, ad 14 diem sine cibo & potu pervenerint, & ex illis etiam firmat plerisque convalescentibus. Platerus in quæst. suis Med. paradox. centur. post. num. 32. refert, quemdam captivum sibi omni cibo

cibo & potu interdicto 14 diem exuperasse, poenitentia ductum scius tamen, quam oportuit, cibum expetisse, quem admittere cum nequisset, expirasse citra gravius aliquod symptoma. Eusebius quoque Monachus Hispanus Medicus, & vir doctissimus sexdecim dies abtque cibo & potu transegit.

Verumenimvero vel ipso Hipp. teste *Aphor. sect. 1. Aphor. 13. & seq.* Senes facillime jejuniū ferunt, pueri difficillime, vere, & hyeme difficulter, aestate, & autumno facile inedia sustinemus, & sic de cæteris. unde prudenter Dantes Aliger, in *sua Comæd. Infern. cap. 33.* describens Comitis Vgolini, & filiorum mortem ex fame, hanc varietatem obseruavit, & filiorum minimum ante omnes occidisse, mox grandiores natu refert, ultimo loco Patrem, ut ex subsequenti carmine apparet, in quo introducitur ipse Vgolinus hæc dicens:

*Poscia che summo al quarto di veniti,
Gualdo mi si getto disleso à i piedi,
Dicendo, Padre mio, che non m'ajuti?
Quivi mori, e come tu mi vedi,
Vid' io calcar li re ad uno ad uno
Tra l'quinto di, e l' sesto, ond' io mi diedi
Già cieco à brancolar sopra al cuscino,
E tre di gli chiamai, poiche feci morti,
Poscia più che l' dolor, potè l' dogrimo.*

Vbi nota, Vgolinum etiam nonum superasse; licet Card. 1. *Aph. 13.* hæc Dantis carmina adducens, velit ipsum octo diebus tantum supervixisse, quod falsum patet esse. intra sex enim dies filii perierunt, & tribus sequentibus eos deservisse se dicit, mox potentior dolore fuisse famem, insinuans, dolorem sua acerbitate sufficientem non fuisse ad se enecandum, quod tamen potuit denique fames.

Verumenimvero licet certus jejunii terminus, qui lethalis sit, assignari non possit, illud pro comperto est, raro undecimum diem quemquam superare posse, quin fame è vivis tollatur, ob rationem scilicet, de qua supra, caloris videlicet naturalis, qui receptus & sustentatus in humido radicali, illud indefinenter, paulatim tamen depascitur, ac se ipsum, nisi novo pabulo subveniatur, destruit, ex ejusque destructione animal etiam illico destruitur, neque amplius vivere potest, alimentorum vero assidua ingestione & subministracione humidum illud substantificum quali reficitur, ac reparatur; ex his enim nova quædam humidi appositio fit, (non quidem quod primigenii illius dotes æquare possit) in quod calor agens, interim segnius in illud invehitur, atque hac ratione animal vitam multo diutius trahere potest.

Hanc novi alimenti necessitatem animadvertens sancta mater Ecclesia, in Quadragesimali jejuniio permittit, nos semel in die cibos capere; cum, si per fragilitatem mortalem liceret, totos quadraginta dies ad Christi Domini imitationem impasti, & abtque illo ciborum, aut nutrimentorum genere permanere deberemus, ut dicitur in *cap. silent. de Consecr. 8. Jejun. dist. 1.* Ergo sequitur ex his jejuniū, ac abstinentiam ab omni alimentorum genere ad quadraginta dies protraham, non naturalem effectum, sed miraculosum fuisse in Christo Domino, in duobusq; sanctis illis Prophetis, de quibus jam supra diximus.

Contra quam tamen conclusionem mille, ne innumera dicam, experimenta obijciuntur: nam ex historiis fide dignissimis & verissimis habemus, plures non modo quadraginta dies, sed plures menses, immo plures annos, immo toto vitæ curriculo adeo jejunasse, ut nec ullo cibo, neque ullo potu vitam su-

stentarent; qui autem eas historias perlegere desiderat, præter Cælium, Rhodig. *lib. 13. lect. Antiq. cap. 24. & alibi.* Ravium in *off. Text. lib. 2. tit. de Sobr. & Temp. Ioubert. Parad. 2. decad. 1. Marcell. Donat. lib. 4. hist. med. mirab. cap. 12. & Gregor. Horst. lib. 7. Eju. d. bisser. cap. 1. Cognat. lib. 1. de Sen. tuen. cap. 5. Kornman. de mirac. vivor. tit. de jejun. Schench. lib. 3. Observat. tit. de Astis. adeat præ omnibus virum doctissimum Licetum *lib. 1. de his qui diu sine alimento vivunt per totum.* in quo permulta ejus jejunii exempla habebit, quæ tamen omnia huc transferre eandem telam esset retexere, aut aliena transcribere; afferam tamen nonnulla ab ipso Liceto recensita, alia perpauca ipsi ut recentiora incognita, alia item ab ipso studio prætermissa. Relinquam autem fabulas, ut quod de Abari fabulari Hyperboreos, tradit Herod. *lib. 4.* nimirum, quod sagittam per universam terram circumtulit, nihil unquam comedens. Sed antequam longum jejuniū in homine secundum naturam per has historias, & experimenta tolerari comprobem, ut lectori magis magisque id ipsum persuadam, demonstrandum est, quam sit quoque secundum naturam in omnibus viventibus abtque externo ullo alimento vivere ad longum tempus.*

Plantas igitur primo à terra avulsas plures dies abtque eo quod aliunde alimentum habeat, vivere certum est, cum deficiat illis materia, quam à terra attrahebant pro se alimentandis: immo non modo abtque alimento externo plures vivunt, sed etiam germinant, quod in sempervivo, in Cape, in Scylla, & in bulbaceis omnibus manifestum fit, & fortasse etiam in aliis. Quin etiam arbores omnes, vel saltem potiores earum partem, hyeme nullo modo alimentum à terra attrahere, & consequenter jejunare constat; si enim alimentum aliquod attraherent, & flores, & folia, & fructus non fecus quam Vere, & Rate, aut Autumno soleant, producerent, sed longe fortasse in hoc abest à nobis Plantarum Natura, ad cætera viventia oculos convertere oportere est, quorum multa per multos dies, & menses, & annos, & per totam vitam abtque cibo vivere experimur. Narrat de Echino Arist. *de admir. audit. part. 64.* quod intervallo annuo abtque cibo degat. Serpentum genus omne, & Lacertarum, Glieres item, & Taxos tota hyeme alimento quocunque externo carere pro comperto est; profundissimo enim somno toto eo tempore detinentur: idem de Vrbis, & Vulpibus evenire tradit Concil. *dist. 112. & 117.* de Vrso autem peculiariter Plin. *lib. 8. cap. 25.* Cicadas præterea, Ciconias, Turtures, Cuculos, Buffones, Marmottas, Limaces, & alia permulta animalia longo tempore sine ullo alimento degere plures auctores serio affirmant, De Crocodilo Herod. in *Euterpe. sen. lib. 2.* At Crocodillo talis inest natura, ut quatuor mensibus maxime hybernis nihil omnino edat. Quin & alia omnino tota vita externo alimento destitui narratur. De Chamæleonte Plin. *lib. 8. cap. 33.* ex quo Ioub. *parad. 2. decad. 1. & alii.* Hiante semper ore solum animantium nec cibo, nec potu ali, nec alio quam aëris alimento, at vero Chamæleontem muscis, & vermiculis, alisque hujusmodi bestiolis victitare, indubitata fidei, & oculatus testis est Illustrissimus, & nobilissimus vir D. Crescentius de Crescentis, qui & id animal millies præ manibus habuit, dum ex Ægypto Hierusalem tenderet, & data opera multoties observavit, num vere abtque ullo nutrimento viveret, &

acere

aëre solo, ut communis fama est, an potius aliquem cibum familiarem haberet: comperit autem, illum multas ingerere. id autem veritatem habere testatur vir illustrissimus, quod cum unam aut alteram mulsam deglutierit, ac per horas, veluti ruminantia cum ruminant faciunt, per os retraherit, mox non modo per horas, sed per integros & plures dies, neque septem & octo nihil amplius comedit; multas autem si quas ingerere desiderat, vibrata lingua mira celeritate sua scabritie eas irretitas in guttur demittit. Testis quoque oculatus ejus veritatis est Io. Faber. Lynceus in *lib. de Animal. Ind. in suo Chamæleonte*, qui plenissime & exquisitissime, & hujus & cæterorum rariorum animalium historias enarrat, utpote qui in indagandis Naturæ secretis, & in rerum veritate ex autopsia venandi vir sit indefessus, & extrema aviditate ejus rei teneatur, cui ego permultos similes optarem existare Medicos, qui ejus imitatione, non hujus aut illius Philosophi dicto contenti acquiescerent, sed rei veritatem intimius exquirere studerent, non relinquentes sensum ipsum, ut præceptorum auctoritati adhererent; quam multa enim, Deus bone, vir hic eruditissimus ex sensu ipso, & oculari testimonio invenit. Aristotelis præcipue, ac cæterorum Philosophorum dictis adverstancia? Sed ad rem nostram redeamus. Non desunt autem alia animalia, quæ nullo externo alimento utuntur. Feram Hulpalim, aliamque quam Hayt nominant Indi, nullo unquam cibo ali recensent Indicæ historiæ auctores, & Paræus *lib. 24. cap. 22.* unde aliqui eas aëre nutriti sibi persuaserunt, quod an fieri possit, præ cæteris contestendus prænotatus Io. Faber *loc. citato.* iidem etiam de Cane levi animali Indo referunt, idem scriptores. Oviedus in *summ. Ind. hist. cap. 23.* Scalig. in *Cardan. exercit. 229.* ex Cardano quoque narrat Paræus *sibi supra.* Avem Manucodiatam, quæ Paradisi avis vocatur, nullo cibo aut potu sustineri, alteram quoque aviculam, quam passerem viciniam, seu reluscitatum vocant, auctor est idem Card. *lib. 7. de rer. variet. cap. 36.* ab Octobri mense ad Aprilem usque, sine cibo & alimento ullo vivere. Ergo cum tam frequenter in cæteris animantibus illud eveniat, ut sine cibo, & nutrimento externo vivant, non modo miraculosum videri non debet, sed neque mirum, hominem longo tempore jejunare naturaliter. Nec valet contra id argumentum Cagnati præceptoris mei doctissimi in *lib. de san. tuen. cap. 7.* nimirum, quod si valeret fumere argumentum à plantis, & ab animalibus cæteris, quod sine cibo vivant, & quod idcirco idem in homine evenire possit, tantundem esset dicere: sunt animalia, quæ volant, aut quæ sub aquis vivunt, ergo homo potest volare, aut sub aquis vivere, non valet, inquam, hoc argumentum, immo indignum Philosopho viro est, quia nutritio, & vita sunt termini communes homini cum quolibet vivente, non autem sic volatus, & victus sub aquis, ita ut bene quidem procedat hoc argumentum: si multa que nutritione indigent, abtque externo alimento vivunt, poterit etiam homo abtque nutrimento externo vivere, quia in hoc quod est vivere, nutritione indiget homo, ut cætera animalia. non ergo adeo pro fabulosis historiis habendæ, quæ de Altromorum gente, & Gangis accolis narrat Solin. *cap. 53.* & Plin. *lib. 7. cap. 2.* ex quibus eadem referunt historias Ioubert. *sibi supra.* & Kornman. *de miracul. vivor. tit. de Jejunan.* Sed si quis tam propria favet opinioni, ut neque supradictis acquiescat, profecto audeat, &

Liber IV.

temeritate insignis existimandus veniet, ut sensui contradicat, aut sequentibus historiis fidem deroget, ex quibus constat summos sapientes, summoque Pontifices, Reges, ac inclytas Respublicas plures ejus rei experimenta cepisse, posterisque veritatis fidem publicam, & indubitata fecisse.

Sub Clemète Summo Pontifice ejus nominis VII, vir Scotus, juvenis, pilisque rubris, & ut videbatur, habitus biliosi, cum sponte se obtulisset, diebus undecim in custodia habitus abtque cibo, alioquin afuetus usque ad 20 diem, & usque ad 30 in eadem inedia perseverare, miraculi præmium accepit. Cardan. *lib. 11. de subtilitate.* & de ejusdem historiæ veritate testis oculatus est Garimbert. in *problem. lib. 1. probl. 34.* Naturale etiam fuit Danielis jejuniū, qui tribus hebdomadis integris abtque cibo & potu permansit; sic enim ille *cap. 10. vers. 2.* In diebus illis ego Daniel legebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies. De jejunio autem Elfræ quod naturale fuerit, non dubitandum, & tamen tribus hebdomadis jejunavit; nam etiam si & qualibet hebdomada jejunium fregisse dicas illum, tamen mirabile est, illum septem diebus jejunasse iterum atque iterum, ut narratur *lib. 4. cap. 6.*

Ferdinandus item Romanorum Rex unà cum 13 omnibus suis proceribus à consilio puellæ Spirensis experientiam desumi voluit, quæ quadriennio jam transacto ab omni cibo potuque abstinebat, cum puellæ tam longum jejuniū tantam attulit admirationem, ut de ea peculiare disputationes instituerent plures non infimi nominis Philosophi dignati sint, inter quos præcipue id præstitit Simon Portius, apud quem, si libet, plura ad hanc rem facientia videre poteris. sed ejus puellæ historiæ longioribus retulit Langius *lib. 2. Epistol. num. 27.* ex quo etiam repetit Licet. *lib. 1. de his qui diu sine alimento vivunt.* & Gregor. Horstius in *lib. 7. bisser. med. mirab. Marcell. Donat. cap. 1.* apud quem plures hujus generis historias perlegere licet, & inter Canonistas ejusdem puellæ meminit Torreblanca in *Epitom. delict. c. 21. lib. 2. num. 4.* Idem autem Licetus de alia quoque puella mentionem habet, quæ sexdecim integris mensibus jejunna permanferit. cumque ejus rei fama ad notitiam Serenissimæ Christianæ magnæ Hetruræ Ducissæ devenisset, ad se puellam deducendam curavit, ut tanti miraculi judicium ex Medicis Philosophisque cæterisque sapientibus audiret, quorum varæ, ac libi contrariæ fuerunt sententiæ. Savonarola in *practica magna tract. 6. c. 13.* in dubiis historiæ 19 narrat, quæ sequitur: Quidam Pistoriensis refert, à fide digno habuisse, quod in civitate, quæ vocatur Alumna, fuit quædam vetula, quæ septem annis vixit sine cibo. Postremo adverte ad unum, quod est maxima reverentia dignum: Fertur hoc tempore in Hispania apud Regem principatiter esse Religiosum Ordinis Heremitarum sanctæ vitæ, qui post assumptam Eucharistiam stat 20 diebus sine cibo, quod Rex ipse, & Generalis Ordinis maxima diligentia investigare voluerunt studentes, & ita esse inventum.

In Palatinatu quoque, pago qui dicitur Schmitweiler puella quædam victoris filia nomine Catharina septem annos sine cibo & potu exegit, ejus examen & universa historia, Magistratus decreto anno 1556 Germanice scripto, ad plenum Heidelbergæ publicato, existat, refert idem Licet. ex Le-

ij. T

vino,

18 vino, Hulsio, Citefio, Schenchio *lib. 1. cap. 12.* Iuuenis item quædam Pedemontana anno 1601, annos nata circiter 22, iussu excellentissimi Principis Auriz Genuam translata sub ætissima custodia per duos fere menses habita, nihil omnino præter aquam ingessit, vinumque dilutissimum in abluendo hausit, famam, quæ de suo plurimum annorum jejunio dudum percubuerat, certis experimentis in rifice comprobavit. idem Licet, *ibid. cap. 15.*

Has ergo historias, cæteris posthabitis, adduxi, quia, ut vides, summi Principes illarum veritatem experientia confirmarunt: nam & his admirabiliores enarrantur. contigit mihi præteritis diebus imaginem videre ad vivum depictam Francisci Nicolai Petraræ Vanderi Helvetii, qui viginti annis absque cibo & potu vixit; mortuus est in die S. Benedicti anno 1470, vixit annos septuaginta, erat aspectu squallidus, & mirum in modum extenuatus, adeo ut ejus imago intuentibus facile horrorem incuteret. Relatum est à Dino Medico, inquit

19 Mercurial, *lib. 3. præf. cap. 7.* mulierem fuisse quandam suo tempore, quæ septem annis sine ulla appetitu, & cibo vixerit, & ex Alberto Magno plures sex, & septem, & pluribus mensibus sine externo quopiam alimento vixerunt. alius toto vitæ curriculo nec comedit, nec dormivit, & hic sese Soli exponere, quoties nutriré voluit. Refert Oribasius 1, *Apher. 12.* quemdam ad solum mellis odorem quadraginta diebus vixisse. volunt nonnulli mendam irreplisse in textu, & pro quadraginta, quatuor scribi volunt, sed quæ admirationis causa esset, aliquem quatuor diebus vixisse etiam absque mellis odore? Scio tamen quod de Removito narrant, eum nempe morti proximum rogatum, ut vitam protraheret, mel ad se afferendum curasse, & ejus odore vixisse diebus quatuor. refert præter alios Provenzal, *de sensib. Conciliator citata diff. 112. prope finem.* Certificatum, inquit, mihi per fidelem locum Ioannem de Corceò Normandiæ cum aliis quam multis dicentem, illic fore mulierem, quæ amodo per spatium 36 annorum nihil assumpsit, & cum vellet, sanguinem ex ore & naribus effluere faciebat. Retulit etiam, addit, unus meorum Accinctorum, contraesse monalem in Stendal Saxoniz Medianæ, quæ per duos annos nihil recepit, post quod esuriens, ut prius consueverat alimenta susceperit. Valefcus Tarentinus *lib. 4. Philon. cap. 5. not. 6. ex Iordane de Torri super 4. de Murb. capit. 2.* cuiusdam mulieris meminit Alemannæ, quæ sex mensibus sine cibo & potu perseveravit.

20 Narrant Dominic. Terilli in *lib. de causis. repent. mort. scil. 4. cap. 4.* vidisse se Patavii virginem quandam Chirothecarii fororem, quæ permultos menses non solum sine cibo & potu vixerit, sed quæ singulis diebus insignem aquosi humoris copiam cum carunculis quibusdam conjunctam evomeret, quæ omenti portiunculæ videbantur; interim etiam per sanguinis missionem ob morbum Cathoche dictum è vena largius evacuata fuerat. Gulielm. Fabric. *Obs. suar. cent. 4. Obs. 30.* recenset, gravidam quandam sceminam sex hebdomadarum spatio absque cibo fere & potu permanisse. & *Obs. antecedenti.* Puellam Mariacensem ultra annos quindecim absque cibo & potu adhuc dum hæc ipse scriberet, vivere. scribebat autem anno 1612.

21 Vivit autem adhuc, nisi mentiar, Reate ingenua quædam Monacha, quæ per quatuordecim, pluresque dies non modo quicquam neque comedit, neque bi-

bit, sed etiam omnes potuum, & ciborum odores ita abominata est, ut in animi deliquium facile ex eis incideret, immo neque aquam ipsam inodoram, & nullo sapore conspicuam primoribus labris deglutere potuit. interim tamen nutritivi clysteres injiciebantur, quos omnino retinebat. tandem Eucharistiæ Sacramento accepto paulatim denuo cibis & potibus refici cepit. erat autè tunc ætatis annorum 20, & novennis jam purgationes menstruas quantitate plurimas experta est, ex quarum dehinc diminutione, & hæc, & alia symptomata passa est, quæ recense non facit ad rem, Traçavit D. Io. Bapt. Fasanellus & prædictam Monacham, & aliam, quæ miro symptomate oppressa per totidem dies jejuna omnino permansit. erat autem symptoma, quod patiebatur, tale: Lingua adeo illi in penitiores partes se retraxit (ex convulsione aliqua crediderim) ut nullo modo amplius appareret; interim autem nec ullo modo loqui, nec quicquam deglutire potuit: servata est ipsæ clysteribus, quibus superior. Sed quid ego plura testimonia adduco, cum tot, & tanta cummlaverint Licetus *ubi supra.* Gregor. Horstius, & Henricus Kornmanus, & Daniel Sennertus *præf. lib. 3. cap. 2.* & alii locis citatis? Concludendum ergo

22 restat ex adductis experientis, hominem, & quodcumque animal posse naturaliter per longum tempus absque ullo alimento externo, & cibi, inquam, & potus, vitam incolumem traducere. quod tamen quam ratione fieri possit, adeo controversum est, ut doctissimus vir Licetus eodem libro pluraque septem supra viginti opinionis inter se omnino varias, ac discrepantes enarraverit Medicorum, aliorumque sapientum, qui de ea re locuti sunt; quas tamen ille omnes partim ut minus probabiles, partim autem ut ab omni veritate alienas, partim denique ut nullis rationibus fultas confutat, discepit, rejicit; ipse *lib. 3. per totum* propriam affert sententiam, quam & defendere plurimum laborat, ut ingeniosissime facit, cujus sensus est, qui sequitur: Ponit primo conclusionem quandam, ipsamque nonnullis experientis, rationibus, & auctoritatibus munire conatur, ea autem talis est:

Viventia omnia posse naturaliter vivere per longum tempus absque eo, quod ullo modo nutriantur, vel brevius, credit, nutritionem non esse semper, & cuicumque animali ad vitam necessariam: cum enim concedatur, nutritionem fieri ob deperditionem humidi radicalis, quod à calore nativo indefinenter assumitur, deducit hinc, necessitatem nutritionis auferri posse, quandoque; auferatur absumptio radicalis humidi, hanc autem absumptionem humidi radicalis omnino de medio tolli concludit, ab æqualitate caloris cum humido, ita ut ille non exuperet hoc quoad vires saltem, vel alio modo, aut parum admodum exuperet. ubi igitur hæc æqualitas contigerit, omnem nutritionis necessitatem cessare necesse est ex ejus sententia, ac durante hoc pacto principiorum vitæ, seu quomodocunque appellare libet, æqualitate, homo jejunium perferre potest, ea autem destructa ab extrinseca aliqua, aut intrinseca causa, ut ab humoribus, aliisque rebus, homo, aut animal quodcumque, nutritione denuo indigebit, & ad ciborum absumptionem denuo compellitur, hæc est opinio doctissimi viri, qui difficultatibus ex ejus sententia emergentibus satisfacere accuratissime conatus est, quod toto quarto libro, qui ejus operis postremus est, præstitit.

Hæc tamen eruditissimi viri sententia, licet ingenio-

niosissima sit, permultas patitur difficultates, quibus, ut mihi videtur, undequaque satisfacere impossibile omnino est; quoniam autem omnes hic proponere, ac pro singulis disceptare, majus multo requiret & tempus & opus, nec mihi in animo est, cum locus is hoc non requiratur, ex professo & data opera de ea re, sed potius per transennam disceptare, idcirco pauca quedam, ac brevissime hic proponam, ut deinceps veriore sententiam, ac plurimis doctorum magis acceptam patefaciam.

26 Primo autem assumptum de nutritionis intermissione, quod nimirum absque eo quod animal aliquo modo nutriatur vivere possit, falsissimum, ut videtur, apparet; quod potest ante omnia auctoritatibus magnorum virorum comprobari. Aristotelem primo audiamus 2, *de Anim. tex. 3.* afferentem, Vitam nihil esse aliud, quam consentiant per alimentum, & 27 *tex. 54.* ejusdem nutritivam animam, & cæteris inesse, & primam, & maxime necessariam, & communem in Animæ potentia, ex qua infit vivere in omnibus, & *ibid. eodem tex. 37.* Nihil decrementum pati, neque augmentari naturaliter, nisi alatur, ali autem nihil, quod non vivat. ex quibus in sententia Arist. bene infertur, nihil vivere, quod non nutriatur. Imo vitam à nutritione nihil differre, manifeste affert in

28 *lib. de Inventis, c. 14.* Quin etiam Gal. 3, *de symp. c. 3.* Naturalium, inquit, actionum prima, ac propemodum omnium maxime necessaria nutritio est, juxta quas auctoritates primum fundamentum à Liceto jactum non subsistere apparet, sed auctoritati-

29 bus breviusculas quoque rationes annectamus. Facultates & actiones viventis animalis sunt inter se ad invicem subordinatæ, ita ut una sit propter aliam; quod probatione non eget. prima igitur ablata, omnes corruptæ necesse est, cum ergo ex superioribus auctoritatibus nutritio sit omnium prima, & maxime necessaria, ea ablata, aliæ quoque una cum ipsa succumbent, immo cum nutritio sit simpliciter subordinata ad vitam, ablata nutritione, vitam quoque cessare omnino necessarium est.

Secundo causa necessitatis nutritionis à Liceto allata, nempe absumptionis humidi radicalis à primigenio calore, non est adæquata, quia non ob id solum nutritione eget animal, sed multas alias ob causas, præcipue vero ob assiduam spirituum deperditionem in quibuscumque actionibus celebrandis. Respirando, loquendo, videndo, audiendo, aut quomodocunque sentiendo, immo vivendo spiritus absumuntur, & diffiunt, & cum iis vitæ principia succumbunt. Quanto magis præterea absumi eos, ac diffuere necesse est, si imaginari, intelligere, ratiocinari nos oportet? Quanto magis si corpus quoque modo movere, laborare, aut aliqua ratione exerceri necesse sit? quoniam etiam non in his solum, & nobis manifestis actionibus eorum exinanitio contingit, sed ut Gal. dicebat in Platonis Timæum, sensu etiam ignotas evacuationes habere nos, qui ex elementis constamus, oportet. Igitur etiam si natus calor adeo humido radicali æquetur, ut in ipsum nullo modo agat, tamen necessitas nutritionis non cessabit, utpote qui reparatione spirituum indigeamus, cum in quibuscumque actionibus & functionibus calorem ipsum, ac spiritus absumi necesse sit, ut supra dixi; sed quale axioma hoc est, animal vivere, calore quiescente, nihilque agente? nam quid est vivere, nisi calorem per humidum radicale ali, ac sustentari, aut ejusdem caloris in humidum actio?

Cæterum experientis, rationibus, & auctoritati-

bus, quas pro sua fulcenda opinione Licetus adducit; si per hujus operis institutum liceat, mihi respondere, ad experientias, quas ille à prin. lib. 3. usque ad cap. 13. adducit, pace illius dixerim, omnes respectu ejus opinionis falsas esse, dum putat, Plantarum semina, arborum ramos, stirpes, bruta quadam animalia, insecta, ova, aves, pisces, ipsam animalium semina, & ipsam denique perfecta animalia, ipsos quoque homines aliquando vivere, absque eo quod ullo modo nutriantur. Si enim à fortiori valet argumentum, profecto si plantarum semina alimentum continent, & quousque vivunt nutriuntur, multo magis id ipsum de cæteris firmandum est. sed Plantarum semina alimentum in se continent, si quis ad dubitat, audiat Theophrastum *lib. 1. de causis. Plant. cap. 7.* Semina, inquit, omnia aliquid in se alimenti continent, quod una cum generandi principio Natura profundit, sicut in ovis. qua de causa non inepte Empedocles,

— *Ova silent excessis vixere ramis,*
inquit. Enimvero Natura feminum ovis proxima est. differere tamen ille non tantum de arboribus, sed etiam de omnibus debuit: habet enim unumquodque alimentum in se, quo & durare temporis aliquantum valet, nec quemadmodum animalium semen, exceptis quæ ova pariunt, protinus perit, ubi seorsum fuerit: hæc enim alimento fulcita, ut dictum est, munitaque ad suum conservandum principium durare valet; sed alia diuturniora aliis, maxime vero diuturna, quæ spissa, sicca, lignosaque sunt, cetero Palmæ: is enim nullus extrinsecus aditus patet, nec humor ullus includitur, quod putrefecere possit; quapropter neque bestiolis infestantur sicut frumenta, neque reficantur, ut semina olerum, sed mira soliditate munita, suum tutantur illud genitale principium. Omnibus autem feminibus aliquid pabuli inesse, hinc etiam constat, quæ enim arida, & veluti putaminea omnino cernuntur, ut olerum, hæc suis temporibus ad germinandum moventur, etiam si humoris quantumlibet senserint: quamobrem hæc in cœnaculis reponunt, suspenduntque eminentius, nec ullam in eo domicilio aquam conspergunt, aut afferunt. Eo verius in reliquis sensu etiam percipi alimentum facile potest, quod quidem in carnosis lætescere quodammodo solet. Confessum hoc idem fere & in animalium genere est; neque etiam quod ab his emittitur, totum semen purum sincerumque arbitrandum. Hæc Theophrastus; cujus auctoritati acquiescere non modo decet, quia vir est maximæ, & antiquæ auctoritatis, sed etiam quia non absque firma ratione, & experimento loquitur. ex quibus contra eruditissimi Liceti sententiam deducere licet, quod in omnibus his, quæ vivunt quidem, sed externo alimento destituuntur, reperitur humidum quoddam substantificum, quod inlitus eorum calor depascens, vitam ejus fovet, eaq; idcirco tantumdiu vivere certum est, quoad calor eorum humido illo fovetur, mox deficiente humido, & calore evanescente, ea corrumpi, quod non habeant amplius unde nutriantur, calore enim humido fovendi virtuti est. patet insuper ex his, unde fit, quod aliqua semina longiori, alia breviori tempore prolifica permancant; quousque enim alimentum habent, unde vivunt, germinare itidem possunt; durat autem in ipsis alimentum pro caloris ipsius virtute, pro ipsius pabuli quantitate, & tenacitate, pro ipsorum femininum magis aut minus densa ac solida substantia, sed inessum me hæc contra sententiam eruditissimi

viri adduxisse video, cum vel ipso afferente *lib. 4. de Spont. Vren. or. cap. 58.* femina omnia nutriantur. qua solum auctoritate responsum volo omnibus experientis ab ipso allatis, sequenti tantummodo excepta. Ex *Andræ Laurentii* auctoritate probat ille, semen perfectorum animalium primis diebus non nutrir, imo supervacaneam esse tunc quamcunque nutritionem; quod tamen sano modo intelligendum, nimirum non nutrir alimento aliunde influente, ut ab ipsa Matre, idcirco per illud temporis adhuc non generatur umbilicus: per hunc enim in posterum nutrir Embryo; at non est dicendum, nullo modo nutrir, nutrir enim insito, ac proprio alimento, nam aliter non viveret, vivit tamen: immo hæc experientia, si quæ alia declarat, & firmat sententiam nostram de huiusmodi questione, quam deinceps exponemus.

35 Auctoritatibus porro à Liceto allatis à cap. 33. ad 39. respondeo, partim de externo alimento loqui, partim quidem ad rem vix quicquam facere, partim etiam declaratione egere, ut ea, quæ ex Hipp. Gal. Celso, Avicenna, & aliis præceptoribus desumitur, qui de Atrophia loquentes, dicunt in ea corpus non nutrir: dico enim hoc intelligi, quoad solida membra respective, & exteriora, non quoad omnimodam omnium partium nutritionem, & ipsius caloris nativi, vel dicendum corpus non nutrir perfecta & absoluta nutritione, sed tamen nutrir aliquatenus, & sic inde procedere totius emaciationem, tandemque mortem, quia multo plus absorbit calor, quam reficere possint ministrata alimenta: immo ob eam causam, nempe, quia calor acerrimus excedenti utitur alimento, & ipsum humidum quasi vorax depascitur, animal succumbit; ita ut etiam concedamus non nutrir corpus, calorem tamen nativum non nutrir dici non potest, at in Liceti sententia oporteret calorem ipsum omni nutrimento destitui, si absque omnimoda nutritione vivere debeat animal.

36 Rationibus denique, quas in medium attulit Licetus dicamus, eas nihil omnino pro sua opinione concludere, immo, pace sapientissimi viri dixerim, earum quædam transcendere. quod etiam condonemus, eas omnes esse validissimas, & concludentissimas, ac probare tandem, nutritionem neque ratione animæ, neque ratione corporis, nec ratione caloris, nec ratione totius viventis, neque ratione ipsiusmet nutritionis, neque ratione spirituum esse ita necessariam, ut aliquando intermitteri non possit, tamen non probabunt, ratione omnium simul omnino non esse necessariam; nam nisi ad præsens sit necessaria ratione unius, est necessaria ratione alterius, ita ut saltem alicujus rei, si non omnium respectu intermitteri omnino sit impossibile.

37 Verumenimvero si intermitteri aliquando in vivente nutritio potest, hæc intermissio vel maxime erit secundum naturam, præsertim quia ex æqualitate caloris cum humido dependebit, constitutione nempe corporis temperatissima, vel id ipsum erit per accidens, & præter naturam. Si primum, ergo nutritio erit quid maxime præter naturam, vel tantopere recedet nutritio à constitutione naturali, quantum intermissio nutritionis ad naturalem constitutionem accedet. Si secundum, cum omnia, quæ præter naturam sunt, ipsi Naturæ vim inferant, & violenta sint, maxime ab ea intermissione dependere debet ipsius Naturæ destructio; at con-

trarium concluditur in sententia Liceti, quia cum calor non agit quicquam in humidum, neque humidum consequenter quicquam patitur, Natura multo magis, quam quod calor agit, & humidum patitur, vegeta ac vivida permanebit. Adde quod si animal absque nutritione vivere potest, maxime inculanda venit ipsa natura, quæ cum possit animal creare, quod & diutius viveret, & paucioribus auxiliis ad vitam egeret, ipsum tale plasmat, ut sine tot ab extra ministratis vivere non posset, saltem ut plurimum. vel inscitia ergo, vel impietatis inculanda esset Natura in hac sententia, quod absit, ut nos firmemus.

Sed videamus quenam sit ea æqualitas, de qua doctissimus Licetus loquitur, qui ad suam opinionem vel declarandam, vel stabilendam, volens demonstrare, quanam ratione possit contingere, ut nutritio ob id intermittatur, quod animal non sit necessaria, asserit, id tunc evenire, quando calor nativus adeo æqualis evadit humido, & vice versa, ut neque calor agere possit in humidum, neque humidum à calore pati, sed quam mihi æqualitatem effingit, ens quoddam rationis mihi videtur, ac somnio simile, nullam habens, ac habere potens existentiam realem. quenam enim est hæc æqualitas inter calorem, & humidum, cum unum ad agendum, & propter id existat, alterum ad patiendum, & propter id subsistat? quid ergo impedimenti esse potest, quo minus unum agat, & alterum patiat? num utriusque determinata quantitas? num invaliditas agentis, & resistit patientis? sed quæ invaliditas agentis ubi neque à contrarietate patientis impeditur, neque à multitudine obruitur? aut quæ resistit patientis ubi nulla qualitate agentis virtutem retundit? sed non posse id succedere, quod tamen facile credit Licetus, manifestissime demonstrant Gal. verba 12. *Meth. cap. 5.* Ac si quidem, inquit, sic prospici his (spiritibus, solidisque partibus) possit, ut nec substantia eorum quicquam vacuaretur, aut proruis immutaretur, id esset optimum. sed quoniam in commentariis de sanitate tunda offendimus, fieri non posse, ut id generabili corpori unquam contingat, eo Lectorem ablemus.

Præterea frustrabitur Natura ipsa eo sine, quem intendit in viventium plasmatone, quippe quæ calorem in illis implantaverit, ut per illum viverent, humido quodam illi substrato, quod esset ejus pabulum, ut jam sæpe diximus; si ergo calor hoc pabulo jam non nutrietur, frustra fuerit ejus appositio à natura facta, immo animal nequam vivere poterit, calore non potente suo pabulo uti, quod si potest animal absque hoc quod calor ullo pabulo utatur, vivere, cur non poterit idem calor absque ullius pabuli appositione ad longum tempus permanere, quod si non potest sustentari absque hoc pabulo, jam sustentatio per pabulum ipsa nutritio est.

Quoniam ergo pacto contingat, ut nonnulla ventia absque externo alimento vivant, & præcipue perfecta quædam animalia tam longo tempore jejunant vitam trahant, ut sensu, & experientia constat, jam nunc aperiendum. Communis opinio, quæ Alberti est, Conciliatoris, Cardani, Iouberti, quibus accedit Epiph. Ferdinand. *lib. 2. Theor. 7.* & aliorum, ceteris probabilior videtur. ea est, quod nutriantur ex humore crudo ac pituitoso in eorum corporibus aggregato. Hunc enim, inquam ego, humorem non

ad alium potiorum finem Natura progignere intendit, nisi, ut deficiente interni alimenti copia ob externi defectum, aut quomodocunque ipse in caloris nativi pabulum, & alimentum facessat. Nonnullas tamen condiciones concurrere necesse est, ad hoc, ut hoc alimento contenta Natura sit, ita ut externo non indigeat. primo enim calor nativus non acerrimus, sed debilis sit oportet saltem respectu copiam, & qualitatis crudorum humorum, ut infra dicemus: ex caloris enim debilitate major pituita, & crudorum humorum copia emerget, ex qua etiam major erit ipsius appetentis facultatis satietas, & ab externo alimento cessatio, hoc enim ita se habere satis demonstrat experientia, ea autem ex causa multo plures foeminae, quam viri, visæ sunt, quæ naturaliter longum servaverint jejunium. idcirco facilius senes, quam cæteræ ætates jejunium tolerare possunt, tam in foeminis enim, quam in senibus occurrit & caloris nativi debilitas, & crudiorum humorum copia. contra perit etiam ob ingluviem crudis abundent humoribus, quia tamen calorem validum, ac vegetum sortiuntur, famem longo tempore non perferunt, neque convalescentes etiam si calorem debiliorem habeant, tamen tolerare possunt, quia copia crudiorum humorum destituuntur.

At quia non esse solam, & adequatam famis causam consumptionem radicalis humidi à calore, sed etiam indefinens spirituum essurium, jam dictum est, idcirco in plerisque qui longiori tempore, quam alii liceat, tolerare famem possunt, restrictio etiam pororum cutis concurrere debet, ex qua calor minus sit dissipabilis: immo nova humorum congestio ex evaporatione evenit restricta cute; increscunt enim, si qui vapores ad cutem elevarunt, & ad interna denuo remeant, non aliter, quam in pluvia contingere solet. Quandiū ergo nativo calori suppedit pituita copia, quam in sui pabulum convertat, eamque externi alimenti loco habeat, tam diu animal ab ejus alimenti externi quacunque assumptione cessare poterit, & ex hoc fit major in uno, quam in alio jejunii tolerantia existat, ut experientia docet, majorem esse in foeminis, quam in viris, inveniunt Conciliatore *diff. 117.*

Sed neque hæc, quæ hæcenus prædicta sunt, sufficient ad longi jejunii tolerantiam; si sic enim esset, cum omnes fere homines pituita abundent, multique crudis humoribus sint refertissimi, omnibus facile esset jejunium longo tempore tolerare, cum tamen pauci admodum id possint: quamobrem necesse insuper est, pituitam, ac crudos illos humores, qui ita externi alimenti vicem gerere possint, habere in se humidum quoddam æreum, & unctuosum, & quod calori non aliter quam oleum Lucernæ flammæ pro pabulo succedat; alias enim ipsum calorem potius extingueret sua copia, & frigiditate, & aqua humiditate; nam & hoc in externo quoque igne facillime experimur, qui humido pingui, & æreo fovetur, aqueo vero potius extinguatur, confirmari potest hoc in multis animalibus, quæ tota hyeme dormiunt, neque ullo externo alimento utuntur, de quibus supra. hæc enim per alia tempora multam pituita copiam, & crudioris sanguinis multitudinem congerunt, ex qua multa pinguedo generata in locum alimenti dum dormiunt illis facessit, non solum ergo ex simplici pituita majori copia, sed etiam qualitate major succedit jejunii tolerantia; quomodocunque enim assumpta à calore fuerit, quæ corpori alimentum ministrat-

bat, rursus animal expurgatur, & ad externorum alimentorum opem concurrere cogitur, qui reditus ad externa alimenta quomodo fiat in sententia Liceti, nequaquam mihi licuit expiscari: cum enim ex æqualitate illa caloris cum humido sopiri velit externi, immo & interni, omnique nutrimenti necessitatem, oportebit hanc ipsam æqualitatem (rem quippe tam difficilem, ut dari unquam posse in rerum Naturam non credam) sæpe & accedere & recedere in iis, qui cum per longum tempus jejunaverint, rursus ad cibos redeunt, & dehinc multo tempore jejunant.

Superest tandem, ut rationibus, quas Licetus contra hanc opinionem producit, satisfaciamus, quod quidem brevibus agendum; jam enim questionem hanc ultra septa tranfuisse video, antè tamen duas experientias ad nostram opinionem confirmationem recitare oportet. prima experientia est, quarum prima desumitur ex Monarde, qui in *lib. de simpl. Ind. 50. cap. de Tabaco*, & ejus herba pillulas qualdam conficere Indos narrat, quarum usu famem, ac sitim iter facientes triduo, ac quadriduo sustineant; unam enim, aut aliam inter inferius labrum reponunt, inferioresque dentes ejus liquorem assidue sorbentes: ea assumpta, reponunt aliam, atque inde aliam, donec peregrinationem absolvant triduanam interdum, aut quadriduanam; atque ea ratione toto eo tempore neque famem sibi, neque sitim molestam esse dicunt; cujus causam esse puto, addidit ille, (neque alia assignari ex mea sententia potest) quod assidue sorbentes pillulas illas etiam humores pituitosos è cerebro eliciant, qui deglutiti, & in ventriculum demissi naturalem ejus calorem humectant, sed ab eo tandem absumuntur aliorum ciborum defectu, ut in multis animalibus observare licet, quæ tota hyeme in suis latibus se sustinent sine alicujus alimenti copia, quia calor naturalis occupatus est in pinguedine absumenda, quam æstatis tempore collegerant. hæc Monardes. cui experientia maxime concinunt ea, quæ scripsit Plin. *lib. 25. cap. 8.* de herba quadam Scythica dicta, & de alia dicta Hippice his verbis: Scythia primum eam invenit, quæ Scythice vocatur, circa Bœotiam nascens prædulcis, aliam utilissimam ad ea, quæ spasmoda vocant. Magna & ea commendatio, quod in ore eam habentes, famem sitimque non sentiunt, idem præstat apud eosdem Hippice dicta, quod in equis quoque eundem effectum habeat; traduntque his duabus herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame sitique, non absimilis virtutis herba quadam apud Indos reperitur nomine Cacaore, quæ famem expellit ore retenta. Torreblanca in *Epit. delict. lib. 2. cap. 21. num. 8.* ex Petro Chiezza, & August. Zarate. Atque hæc quidem à veritate non aliena alia ratione, quam supradicta fieri asserendum non est, attractione nimirum pituitæ à Cerebro ad ventriculum, quæ cibi potulque omnem defectum supplet.

Alia experientia, quam pro sua sententia asserit vir doctissimus Licetus est de animalium perfectorum femine, quod utero receptum primis diebus, & vivit quidem, & nutrir non externo, aut aliunde influente alimento, sed ingenito, & superflua quadam sui ipsius parte, quam in omni femine reperiri supra ex Theophrasti auctoritate patet; non enim viveret si non nutrireretur, at ipsum vivere necesse est, cum vitam toti animali impertiri debeat, quod probat Valles. *lib. 2. Controvers. cap. 9.*

At credite Licetus, semen non nutriti, & tamen vivere; quia reperitur in ipso ea caloris, & humiditatis aequalitas; quam ipse imaginatur? quod si hoc ille vult, doceat necesse est peculiarius, quomodo dehinc semen nutrimento egeat, & quae nam causa aequalitatem illam tam exquisitam, tam cito, brevi nempe nonnullorum dierum spatio, destrueret possit.

Verum invero ad ea, quae Licetus contra nostram opinionem opponit, breuiter ita responsum volo: imbecillum calorem non supponi in jejuniatibus simpliciter, sed respectiue. at difficile, immo impossibile est probare id, quod sibi Licetus assumit probandum, nimirum nullum eorum abstinentium fuisse imbecilli caloris, immo contrarium facilius probaret, quia abstinentes omnes pene, & ut plurimum foeminae sunt, quae crudiori abundant sanguine, ex cuius abundantia caloris arguitur imbecillitas. Neque dicat, eas fuisse iuenculas, & ob id calorem habuisse fortem, quia notum est, iuenculas ut plurimum pati menstruorum defectum, ex quo quis ignorat sanguinis crudioris plurimum aggregari, ex cuius copia calor alias vegetus & fortis obruatur, & debilis evadat? Nec ad probandum minus difficilis est altera negativa, quod abstinentes pituita & cruditatibus non abundauerint, & ex superioribus satis falsitatis convincitur.

Quod autem tam anxie laborat Licetus, inuenire, ubinam loci asseruerit pituita, ex qua abstinentes aluntur, quiescat iam a labore, nam in quavis corporis parte eam asseruari posse alias sibi etiam confecta credimus: non eget autem Natura tam rigorosa & exquisita, ac immutabili operandi regula ad suos effectus celebrandum, non enim philosophatur illa, cum necessitate urgente quicquam molitur: trahit undecunque oportuerit, expellit quocunque liberit, & quacunque sibi visum fuerit; inuia, inaccessa, sibi inconsueti, intentata, incomperta adit, nullo tempore, nullo modo, nullo ordine seruato. atqui hinc miracula in Natura apparent. Itaque abundante ubicunque pituita, Natura eam sibi in alimentum immutare potest, modo & via, ac medio nobis vel incognito, vel incomperato.

Ad id, quod Licetus dicit de constrictione pororum cutis, qui etiam stomachari videtur circulatione, quam diximus fieri ab evaporatione pituitae ad extimas partes, respondeo, hanc non esse conditionem tantopere necessariam, ut non existimem aliquando absque illa fuisse nonnullos abstinentes; sed in pluribus eam potuisse considerari, & neque excrementorum conuersionem in alimentum, neque circulationem illam vaporum, neque illam pituitae evaporationem esse quicquam praeter Naturam, cui omnia facillima sunt, & cuius ingenium in operando longe satis nostram exuperat cognitionem, sed profecto, ut dixi, non est hic aptus locus satisfaciendi omnibus iis, quae Licetus adducit ad hanc nostram sententiam infirmam, aut ad suam ipsius corroborandam, alias autem quandocunque liberit accuratius me satisfacturum promitto, nunc cum Iurisperiti agentem ad alios me convertere omnino improbandum mihi videtur.

Acceptatis ergo iam pro veris historiis omnibus, & experientiis a quamplurimis doctissimis viris enarratis, & ab ipso diligentissimo pariter, & eruditissimo Liceto in unum congectis, iam inde clarissime patet, longum jejunium, nimirum non modo quod ad quadraginta dies, sed ad plures menses, & annos toleretur, esse rem maxime naturalem, ni-

hilque in se miraculose continere, sed potius rari, quod quidem in pluribus veritatem habere est manifestum. neque tamen, his non obstantibus, dicendum est, semper jejunium longam tolerantiam a Natura esse; sed fuisse interdum supernaturalem, & miraculosam: quemadmodum ergo longum jejunium tunc naturaliter toleratur, cum praedictae omnes conditiones in unum coierint, caloris nimirum imbecillitas, vel absolute, vel respectiue, crudorum humorum & pituitae copia, ejus tamen Naturae & qualitatis, quam supra monuimus, & ut plurimum constrictio pororum cutis, sic ubi eae conditiones defuerint (quarum iudicia advertentibus poterunt esse conspicua) jejunium ultra naturalem terminum sequeptem, aut novem, vel decem, aut ad summum undecim dierum toleratum, miraculosum erit, & causam habebit supernaturalem. tale dicendum fuisse jejunium Moysis in monte Sina, tale item fuisse jejunium Heliae pergens ad montem Dei Horeb, tale demique Christi Domini in deserto. Fortun, Fidel, lib. 2. de re lat. Med. cap. 2. & tale insimul nonnullorum aliorum seruatorum Dei, si de quibus tale quid praedicatur, quod Sanctae Romanae Ecclesiae acceptum, ac probatum, & pro miraculo canonizatum fuerit.

Ratio vero, ob quam jejunium in his miraculosum fit, in illis vero nequaquam, non alia est, nisi quia illi, quicquid in contrarium probare conatus fuerit Licetus, omnino nutriebantur, non externo, sed interno alimento, neque alter illi vivebant, quam caeteri homines, & animalia vivunt, nempe per nutritionem; at vero in Christo Domino, atque in aliis miraculose jejunantibus omnis cuiuscunque alimentum subministratio deficiebat, non externi solum, sed etiam interni, quod posset illis vitam fulcire, quae idcirco miraculose omnium evidentiissimum incolomis permanebat, non enim naturaliter possibile est, animal mortale vivere absque eo quod vel externum, vel internum habeat nutrimentum. concordat cum hac opinione Mercurialis, var. lect. lib. 6. cap. 12. vel dici potest, virtute divina augeri vires alimentorum per anteaquam tempus assumptorum, ut credi potest de Helia, de quo dicitur: Et ambulavit in fortitudine cibi illius, quasi illum cibum tantae virtutis fecisset Deus, ut toto eo spatio pro alimento sufficeret.

S V M M A R I V M.

- 1 In miraculis celebratis per infirmorum sanationem diligens examen faciendum.
- 2 Multae sanationes morborum miraculose sunt.
- 3 Morbi, quos ex miraculo sanatos fuisse praesumere debeamus, quas habere debeant conditiones.
- 4 Morbus ex miraculo sanatus debuit esse curati vel impossibilis, vel difficilis.
- 5 Morbus ex miraculo sanatus debuit esse gravis.
- 6 Morbus ex miraculo sanatus non debuit esse in ultima parte situm.
- 7 Sanatio ex miraculo facta debet esse facta subito, & in instanti.
- 8 Monstra in Arte contingunt.
- 9 Sanatio ex miraculo debet esse undequaque perfecta.
- 10 Aliqui ex multa fide, & imaginatione sanantur.
- 11 Vnus morbus in alium miraculose transmutatur.
- 12 Sanatio miraculosa procedere debet diverso modo, quam naturalis.
- 13 Sanatio per insignem evacuationem facta est naturalis.
- 14 Naturaliter etiam interdum aliqui subito a morbis sanantur.

- 15 Crises, quae per insignes evacuationes fiunt, maxime adestur sanationem fuisse naturalem.
- 16 Sanationes morborum omnes in sacra historia absque ulla insigni evacuatione successerunt.
- 17 Morbi ex miraculo sanati non debent esse egrotantibus familiares, & quomodo hoc intelligendum.
- 18 Mulieres difficiliore morbos patiuntur, quam viri.
- 19 Lunatici qui dicuntur.
- 20 Lunaticus morbus est mensura, & molesta Epilepsia.
- 21 Lunatici a Daemoniacis differunt.
- 22 Epilepsia est morbus curati difficilis.
- 23 Epilepsiam in pueris esse sanabilem, quando sit verum.
- 24 Demon non cedit nato albus remedii, & n. 34.
- 25 Demones arte Medica an ejici possunt.
- 26 Nullum potest esse naturale remedium de directo contra Demones.
- 27 Demombus quatenus substantia quaedam spirituales sunt, & Metaphysicae, nihil naturale est contrarium.
- 28 Contraria sunt sub eodem genere.
- 29 Naturalia remedia Daemoniacis conferre quomodo sit verum.
- 30 Naturalia remedia ab Ecclesiae ceremoniis, & precibus induunt virtutem supernaturalem.
- 31 Demones gaudere humore melancholico, quomodo intelligendum, num. seq.
- 32 Melancholico humore superabundante, mores fiunt.
- 33 Paralytici qui sunt.
- 34 Appletici qui vocantur.
- 35 Celsi locus a Mercurialis perperam adductus.
- 36 Paralysis ut sanabilis sit, quatenus requirantur.
- 37 Paralysis in sacra historia curatae naturaliter sanabiles non erant.
- 38 Idem pene est, demortuam animalis partem, quod totum animal ad vitam revocare.
- 39 Atrophia multum abesse a paralysis.
- 40 Pars Atrophia laborans vita carere dicitur.
- 41 Caecitas a Christo Domino sanata.
- 42 Tobiae caecitas adventitia.
- 43 In affectibus oculorum curandis Medici semper parum proficiunt.
- 44 Confirmatam caecitatem curare miraculosum.
- 45 Caecitas per accidens aliquando curata.
- 46 Caecum a nativitate usum recuperare opus est toto genere supra naturam.
- 47 Curatio caecitatis in Tobia qualis fuerit, & num. seq.
- 48 Curatio caecitatis in Tobia in infimo miraculorum genere reponenda.
- 49 Mutos, & surdos a nativitate sanare, aequat miraculum sanationis nativae caecitatis. (gna.)
- 50 Febris, quae affligebatur socius Petri quomodo esset mala.
- 51 Senes non patiuntur acutas febres, ne iuniores.
- 52 Febris, ex qua quis moritur, magna sit oportet.
- 53 Dysenteria, quae detinebatur frater Publii, erat lethalis.
- 54 Sanatio mulieris fluxu sanguinis laborantis in Evangelio narrata fuit undequaque miraculosa.
- 55 Longi sanguinis fluxus Cachexiam, & hydropem.
- 56 Leprosi in Novo Testamento curati. (concurant.)
- 57 Sanatio leprosi in Maria Moysis sorore quale miraculum fuerit.
- 58 Sanatio leprosi Nabamam quale fuerit miraculum.
- 59 Morbus decem leproforum, de quibus in Evangelio, erat confirmatus.
- 60 In Petri Testamento confirmata lepra detenti a caeco hominum ejiciebantur.
- 61 Qui humanae, ac divinae opis desperant, ad Demones interdum se convertunt.

- 65 Latio aquarum quarumvisque confert ad lepram.
- 66 Hydrops est morbus curata difficilis.
- 67 Morbi omnes a Christo Domino sanati difficiles, immo impossibiles curati erant ope humana.
- 68 Miracula fiunt ad Dei gloriam.
- 69 Sterilitatis duo genera in sacris adnotantur.
- 70 Sterilitas Sarae, & Elisabeth qualis.
- 71 Sterilitas Sarae, & Elisabeth naturaliter erat irreparabilis.
- 72 Nullus post septuaginta annos masculum generare potest.
- 73 Sterilitas in aliis mulieribus sacrae historiae enarrata an esset naturaliter reparabilis.
- 74 Serpentes in Hebraeos immisi in deserto suorum venenosissimi, & maxime exitiales.
- 75 Serpens aeneus remedium supernaturale fuit in figuram Christi Domini.
- 76 Serpentes in Hebraeos immisi non fuerunt tunc primum a Deo creati.
- 77 Sanatio Malchi servus Pontificis quomodo fuerit miraculosa.
- 78 Pars animalis viventis a suo principio decisivissime commoritur.
- 79 Ezechias naturali remedio curatus est, & quale miraculum fuerit ejus sanatio.
- 80 Nonnulli claudi ab invero per accidens interdum sanati.

De miraculosa infirmorum sanatione.

QUESTIO VIII.

IN hoc miraculorum genere, quia plurimum decipi homines contingit, exquisito examine opus esse palam est, quod prudenter admonet Rocca de Canoniz. sanct. c. 25. tam multae enim praedicantur miraculose infirmorum sanationes, ut plures multo ex miraculo, quam ex Natura, aut Artis ope sanitati restitui credantur. Immo neque tempus illum a saeculi initio repertum est, in quo frequentissimi hujusmodi miracula facta non praedicentur; neque ulla gens tam barbara, atque a divino cultu aliena unquam fuit, quae egrotantium plurimos ex superiorum virtute sanari sibi non persuaserit. hinc falsorum Deorum delubra ac templa, votivis tabellis undequaque refertissima, confluentem vulgo, cui casus, & ignorantia multa imponunt, ad referendas superis gratias ejus, quam eorum favore credebatur reportatam sanitatem. Multa quoque & apud nos hujusmodi miraculose infirmorum sanationes quotidie, immo in horas, ac momenta audiuntur; quae tamen ut plurimum iis, qui naturales rerum causas investigant, ab ipsis naturalibus causis vulgo ignotis emanasse sensu ipso apparent; non tamen idcirco omnes naturaliter procedere obstat asseverandum; multae enim interdum non naturaliter, sed a supernaturali causa fiunt. Quod ipse Hipp. in lib. de decem. hab. insinuare videtur his verbis: Medicina, inquit, multum Deos colere comperitur, tum vero Medici Diis plurimum concedunt; neque enim supervacaneam potentiam sibi arrogat; cum siquidem ipsi multa aggrediuntur, in multis tamen ab iis superantur. Multae ergo morborum curationes immediate a Deo omnium bonorum datore miraculose emanant, inter quas peculiariter illae fuerunt, quae in utroque testamento enarrantur, ac deinceps eae, quas S. R. E. Sanctorum meritis